

§. XIV. Restat jam ut dispiciamus, elementa & principia ipsorum salium, ex quibus maximè tam naturalia quàm artificialia componantur. Ut autem constitutiva illa principia eruamus, necesse est, ut circumspiciamus, quænam principia omnibus Salibus sint communia, siue anne aliquid deprehendi possit in salibus, quod omnibus competat, & quod omnia possideant, siue quod inseparabile ab ipsis sit, quod nuncupabimus materiam. Si itaque rem bene expendamus deprehendimus in omnibus Salibus primo puncta, & corpuscula rigida, & acuta scindentia, quæ sensibus sese offerunt & maxime ex effectu patent, deinde particulas terreas obtusas, quæ quasi domicilium ac hospitium præbent moleculis, illis figura tali scidenti præditis. Puncta rigida acuta, seu principium activum Salium ipsi effectus & sensus satis testantur; terram autem, siue corpora dura solida, in omnem dimensionem extensa, ad motum per se inertia, seu principium passivum salium naturalium resolutio & artificialium compositio patefacit. Sic *Dn. Olaus Borricbius in Tr. de Ortu & progressu Chymia p. 82.* experimentum insinuat, quo demonstrat, Sal commune crebriori calcinatione & solutione pene totum abiisse in terram. Idem tentavimus cum sale sic dicto Sylvii, illudque crebriori ac sæpius repetita calcinatione solutione, filtratione, ac coagulatione tractando in materiam quandam pingvem, argillaceam in filtro remanentem, redegimus; cujus usum in fluidificatione metallorum & aliis secretis operationibus admirati sumus. Sic notum quoque est, nitrum vitriolum, ac alumen prævia crebriori calcinatione, ac solutione facessere in

Illorum Salium principia; quorum alterum activum; alterum passivum esse dicitur. Demonstratur id ipsi experimentis Salis communis & Sylvii.

terram